

nia pro somniis habent, si quando aliquod somnium
 verum evaserit, non id fortuito accidisse. sed demus
 tibi istas duas sumptiones (ea quae *λήμματα* appellant
 dialectici, sed nos Latine loqui malumus), <adsumptio>
 5 [praesensio] tamen (quam *πρόσληψιν* iidem vocant) non
 dabitur. adsumit autem Cratippus hoc modo: 'Sunt autem 109
 innumerabiles praesensiones non fortuitae.' at ego dico
 nullam (vide quanta sit controversia); iam adsumptione
 non concessa nulla conclusio est. at impudentes sumus
 10 qui cum tam perspicuum sit non concedamus. quid est
 perspicuum? 'multa vera' inquit 'evadere.' quid quod
 multo plura falsa? nonne ipsa varietas, quae est propria
 fortunae, fortunam esse causam non naturam esse do-
 cet? Deinde si tua ista conclusio Cratippe vera est (tecum
 15 enim mihi res est), nonne intellegis eadem uti posse et
 haruspices et fulguratores et interpretes ostentorum et
 augures et sortilegos et Chaldaeos, quorum generum nul-
 lum est ex quo non aliquid sicut praedictum sit evaserit.
 ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quae tu
 20 rectissime inprobas, aut si ea non sunt, non intellego
 cur haec duo sint quae relinquis. qua ergo ratione haec
 inducis, eadem illa possunt esse quae tollis.

Quid vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum 54
 vocatis, ut quae sapiens non videat ea videat insanus, et 110
 25 is qui humanos sensus amiserit, divinos adsecutus sit? Si-
 byllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur.
 quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama